

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P.P. ...
ad exequias, quas Vir ... Dn. M. Protasius Beselin/ Ecclesiastes ad aedem D.
Petro sacram fidelissimus, Protasio Friderico, Filiolo suo pie defuncto, Hodie
hora I. in aede Petrina paratas cupit, Omnes & singulos Academiae Cives, ex
officio, ut humanitates memores sint, hortatur : [Dabam sub sigill. Rect. 23. d.
Oct. Anno 1666.]**

Rostochii: Kilius, [1666]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746858264>


Druck Freier  Zugang




Redeker, H. R.,
in P. F. Beselin.

R. 1666.







1666 149. 177.
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HEINRICUS RU-
DOLPHUS *Redekerl*

J. U. D. P. P. Sereniss. Ducis Mechl. Consil.
& Consistorii Ducalis Assessor,
ad exequias,

quas
VIR Reverendus, Amplissimus, Clarissimus
DN. M. PROTASIUS
Beselin /

Recl. siastes ad ædem D. Petro
sacram fidelissimus,


PROTASIO
FRIDERICO,
Filiolo suo pie defuncto,

Hodie hora I. in æde Petrina paratas cupit,
Omnes & singulos Academiæ Cives, ex officio,
ut humanitatis memores sint, hortatur.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogra



Salutem, !



Gregia sane, & ex rerum argu-
mentis desumpta sunt verba, quæ
Symmachus, Romanæ elegan-
tiæ decus, in epistolâ quâdam
ad Protadium scriptâ, reliquit:
*Nata, inquit, sobolis primus par-
rentes dies exhilarat, mox pii me-
tus brevem gratiam fugant.* Verba
sunt quæ exquisitè satis ad rem
præsentem faciunt, & huic præsentî scripti-
oni conveniunt; Si enim inter omnia gaudia, quæ quandoque
hominum mentes exhilarant, oculos animosq; nostros
penitus circumferamus, nullum vel eximius est, vel
magis desideratum, quam si integræ formæ & indolis
nobis nascantur liberi. Iucundi certe nobis ipsis su-
mus, nobisq; apprime placemus, & in sinu, uti dici so-
let, gaudemus, imo gratulationem à quovis mereri
idemur, quando tollimus liberos, per quos & genus
nostrum, & nosmet ipsos ad seram transituros posteri-
tatem

tatem confidimus. Labores nostros & vitam, multis
alias calamitatibus expositam vehementer edulcat,
quando adesse videmus, in quibus duri oneris conti-
nuatur fructus, & peracti laboris commodum: Simul
autem ac nati sunt liberi, Parentum animi non tantum
gaudio titillantur, sed & eosdem varia circumstant vi-
tæ hujus incommoda: modo enim pia illos cura pre-
mit, ne cum lacte nutricis venenosi quid, quo corpus
vel animus lædatur sugant; modo ne membra, in ere-
ctum composita, distorqueantur; modo ne illos infe-
lix casus affigat; modo ne nova virtutum & bonæ spei
semina in herba obruantur, & in primo flore pereant.
Sic inter mortales agitur:

Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis;
quamvis dolorem interdum voluptas sequatur, attamen
voluptatem iterum dolor à tergo, & cito admodum
pede insequitur; Nam fatali quâdam lege, & per-
petuo valiturâ sanctione, hoc evenire videtur, ne
voluptas, & quod inde provenit gaudiū, sit immutabi-
le ac constans. Has vices vicissitudinesq; mortalium
conditio habet, ut secunda ex adversis, & iterum ad-
versa ex secundis nascantur; eleganter Comicus: Ita-
cuiq; comparatum est in etate hominum, voluptatē ut mœ-
ror comes consequatur. & ille in Tragædia:

*Nulla fors longa est, dolor & voluptas
Invicem cedunt.*

Et

Et præclare Euripides,

Bonum, inquit, à malo esse separatum non potest:

Mixtura quadam, si utriusq; sit, benè est.

Sol oriens, primo læpius ingressus momento, certam nobis spem facit, diem fore serenum; sed mox iterum splendorem suum inter nubila condit, & quæ jucunda sperabamus, in atram desinunt tempestatem. Idem nobis evenit, & eadem singulis lex communis dicta est. Miscentur tristia lætis, & subtexa bonis mala sunt, lacrimæq; sequuntur vota. Liberi ex pectore medio proveniunt, adeoq; pectus ipsum afficiunt, quoties itaq; immaturâ morte, & inverso mortalitatis ordine, è medio tolluntur, non extremam cutem lædunt, sed pectus ipsum & viscera divellunt. Ex corde proveniunt liberi, & ad cor redeunt, imo ipsa cordis intima penetrant: Quod ipsi equidem omnium optime, qui liberis accuratiorem curam inpendunt, & sensu paterno afficiuntur, dijudicabunt. Acerbum certe vulnus est, quod ad cordis claustra pertingit, acerbius quod partem cordis avellit. Experitur in eodem anno, hanc ipsam gaudii simul & doloris vicissitudinem, nec minus hanc mortalium conditionem esse fateretur, *Vir Reverendus & Clarissimus DN. M. PROTASIUS Beselin / Ecclesiastes ad D. Petrum vigilantissimus.* Concepit is in filiolo suo gaudium simul & tristitiam: Illud, quatenus sibi indubiam spem fecit, longioris vitæ:
Hanc

Hanc, quatenus abreptum ex oculis in tenerrimâ æta-
 te luget. Ipse autem, uti est strenuus verbi Divini
 Præco, & Auditores suos, ut voluntati divinæ morem
 gerant, sedulo hortatur, sequentem in modum, gau-
 dium quod ex felici nativitate, & dolorem quem ex
 insperatâ & immatura morte filioli sui cepit, nobis
 significavit: *Natus est Filiolus meus* PROTASIIUS
 FRIDERICUS *Beselin / hic Rostochii, anni currentis*
die 17. Julii, hora 6. vespertina, me Patre M. PROTASIO
Beselin / Ecclesiastâ ad D. Petrum; Matre vero ELISA-
BETHA Rismachers. Avus Paternus fuit DN. JO-
HANNES Beselin / Senator hujus Urbis. Avia Pater-
na est DOROTHEA Marshallers / DN. PROTASII
Marshallers / f. U. D. Sereniss. & Cels. Princ. ULRICI,
CAROLI, & JOHANNIS ALBERTI Consiliarii, &
ANNÆ Schützen / filia. Avus maternus est DN. JO-
ACHIMUS Rismacher / f. Ctus Consul & Syndicus Gu-
stroviensis. Avia materna fuit ELISABETHA Jungela-
sen / DN. JOACHIMI Jungelassen / f. U. D. Sereniss.
Princ. ac DN. JOH. ALBERTI, Consiliarii, & MAR-
GARETHÆ Dobines / filia. Proavus Paternus fuit
DN. JACOBUS Beselin / Præfectus adis Nicolaitanae &
Sedecim Vir. Proavia materna fuit MARGARETHA
Havemans / VALENTINI Havemans / Civis Rosto-
chiiensis filia. Proavus maternus fuit DN. HERMANNUS
Rismacher / Senator Parchimensis. Proavia materna
MARGARETHA Gtingen / DN. GEORGI CLIN-
GIL,

119100017


GII, Senatoris Plagensis filia. Ex hisce parentibus natus,
statim 19. ejusdem sacro baptismatis fonte mystico Christi
Corpori insertus, ac **PROTASIUS FRIDERICUS** nomi-
natus fuit. Quo autem majus gaudium nobis parentibus
hicce filiolus natus fuit; eo major successit luctus, quando in-
primis cunis expiravit. Nam sicut omnia humana & præ-
primis vita nostra præcipiti casui semper supposita sunt: ita
nobis heu accidit! Nam 19. hujus, amantissimus noster filio-
lus malè se habere coepit, & licet externo quidem aspectu ni-
hil mali morbus ominari videbatur; præter spem tamen sub-
sequenti nocte, apoplexiâ fortissimâ, quæ omnia medicamen-
ta illi ætati convenientia sprevit, correptus. Ita in primò æta-
tis flore placida morte circa horam 5. matutinam die 20. Oct.
extinctus est. Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen
Domini benedictum. Cæterum fecit, quod virum corda-
tum, & pium Christianum decet, quando in utraq; for-
tunâ se fortem simul & paratum ostendit. Siquidem
mirum non est illum filiolum hunc suum vehementer
amasse; cum, naturâ instituyente, plus fere filios quam
nosmet ipsos diligamus, uti *Plutarchus de amore proli,*
optime testatur. Laudandus tamen est præprimis, quod
voluerit in voluntate Domini acquiescere, cū non peri-
isse, sed tantum obdormivisse filiolum hunc suū, memi-
nerit. Evocatus enim est ex hac ærumnosa statione,
ad cœlestia & nunquam desitura gaudia. Potuerunt
se, in simili casu, consolari sapientiores naturæ scruta-
tores, ut ut gentiles fuerint: multo magis nos qui cer-
titudinem


titudinem futuræ resurrectionis, & æternæ felicitatis,
firmiter credimus, casus nostros, quos humano consi-
lio non possumus præcavere vel evitare, ferre tene-
mur. Stupenda de fratris morte, Seneca in *Consol. ad
Polyb.* 29. reliquit: *Est, mihi crede, magna felicitas in ipsa
felicitate moriendi. Nihil ne in totum quidem diem certi est.*
*Quis in tam obscura & involuta veritate divinat, utrum
fratri tuo mors inviderit, an consuluerit? & paulo post:
Iniquus est, qui muneris sui arbitrium danti non reliquit:
avidus, qui non lucri loco habet quod accepit, sed damni quod
redidit. Ingratus est, qui injuriam vocat finem voluptatis:
Stultus, qui nullum fructum putat bonorum nisi presen-
tium, qui non in præteritis acquiescit, & ea judicat
certiora quæ abierunt. Et iterum: Rerum natura tibi fra-
trem hunc, sicut cæteris fratribus, non mancipio dedit, sed
commoda vit: cum visum est deinde repetiit, nec tuam in eo
sacietatem secuta est, sed suam legem. Qui præeunt viam,
nobis, quam omnes sequi tenemur, ostendunt: Alios
autem, teste eodem Philosopho, in medio cursu vita dese-
rit, alium in ipso aditu relinquit, alium in extrema senectute
fatigatum emittit: Inter omnes autem beati dicendi
illi sunt, qui, antequam mundi miseriam intelligant, na-
turæ cursum absolvunt. Feliciores sunt illi nautæ qui
plenis velis & celeri cursu in portum dilabuntur, quam
qui, fluctibus expositi, tempestatem, imbres, & pro-
cellas sustinere coguntur. Quid aliud est diu vivere,
quam diu torqueri; cito autem mori, quam cito pede
ad quie*


ad quietem venire. Amasis ad aliquem, filii obitum,
ludentem, dixisse fertur: *Sinon luxisti cum ille nondum
esset in mundo, ne nunc quidem lugebis, postquam in mundo
esse desit.* Cum tamen certi simus, non posse mœstissi-
mos Parentes, qui svavissimo suo filiolo hodie extremū
exequiarum honorem parant, nisi hominem plane
exuere velint, ita se consolari, ut, propter inflictum,
hoc vulnus, omnem dolorem & tristitiam procul habe-
ant, quin potius, ex inopinato casu, graviori luctu
commoveantur: Nostrum erit, *Civcs Academici* amica
ex parte Dei aliquam doloris partem in nos transferre, affli-
ctos Parentes pia consolatione erigere, & ita vulnus
illorum debitâ humanitate lenire. Quoniam autem,
Infanti huic pie defuncto funus, hodierno die, horâ
primâ post meridiem fiet, nobis suppeditatur occasio
affectū nostrum, mœstissimis Parentibus, & toti claris-
simæ familiæ, ex quâ hic filiolus prodiit, contestandi.
Proinde omnes ac singulos, qui Academicam nostram
Jurisdictionem venerantur, imò omnes literatos ac li-
teratorum fautores, seriò ad hortamur, pariter etiam,
amicè & officiosè rogamus, velint, ad funeris hujus de-
ductionem, frequentes in æde ad D. Petrum compa-
rere, & ita honorato comitatu ire exequias. Reputa-
bunt autem animo suo: plurimis mortem
esse in januis, omnibus in insidiis, sin-
gulis in his animæ induviis.


Dabam sub sigill. Rect. 23. d. Oct. Anno 1666.











titudinem futuræ resurrectionis, firmiter credimus, casus nostros, consilio non possumus præcavere vel evadere. Stupenda de fratris morte, Polyb. 29. reliquit: Est, mihi crede, felicitate moriendi. Nihil ne in totum Quis in tam obscura & involuta veri patri tuo mors inviderit, an consulere. Iniquus est, qui muneris sui arbitrium avidus, qui non lucri loco habet quod a redidit. Ingratus est, qui injuriam & Stultus, qui nullum fructum putat in futurum, qui non in præteritis acquirit certiora quæ abierunt. Et iterum: Rerum hunc, sicut cæteris fratribus, non commodavit: cum visum est deinde refacietatem secuta est, sed suam legem. Quæ nobis, quam omnes sequi tenemur, autem, teste eodem Philosopho, inquit, alium in ipso aditu relinquit, alium fatigatum emittit: Inter omnes autem illi sunt, qui, antequam mundi miserruræ cursum absolvunt. Feliciore plenis velis & celeri cursu in portum qui, fluctibus expositi, tempestate cellas sustinere coguntur. Quid aliamquam diu torqueri: cito autem mo-

felicitatis,
no confi-
re tene-
Consol. ad
itas in ipsa
m certi est.
, utrum,
ulo post:
re relinquit:
amni quod
voluptatis:
si præsen-
ea judicat
a tibi fra-
dedit, sed
tuam in eo
nt viam,
nt: Alios
vita dese-
seneclute
dicendi
gant, na-
autæ qui
ur, quam
, & pro-
vivere,
ito pede
ad quie

